



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 36. Rex Galliæ affectus phreneticis corripitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

§. XXXVI.

Rex Galliae affectibus Phreneticis corripitur.

Hi eodem ferme momento adveniunt, dum Rex Carolus VI. in solito quodam morbo corripiebatur, a quo nunquam amplius usque ad extremum vitæ diem, nisi per intervalla, liber extitit, unde plurima eaque acerbissima mala universo regno oborta fuere. Jamjam ex aliquo tempore Regis familiares quamdam mentis imbecillitatem, & inconstantiam sermonis in eo notabant. Ast, dum copias suas contra Britanniae Ducem in aciem educeret, morbi violentia die quinta Augusti fato plane tragico erupit. Mendicus enim quidam vili ac sordido habitu indutus, Regi obviam factus, & fere per dimidium horæ eum infecutus, quamvis tacere jussus, & vi repulsus, semper tamen inclamavit. *Quo Rex miser ruis? proderis, & in potestatem hostis traderis.* Ad hujus conspectum Rex ita conterritus, tantoque

Monach. Sandionys. l. 12. c. 3. p. 219.

furore correptus, ut hinc inde velut Phreneticus cursitare, quosque obvios stricto ense vulnerare, & quatuor eorum occidere, quos inter Eques Giennæ, vulgo Nothus de Polignacio dictus numerabatur. Tandem fortuna illis, quos insequabatur, favente gladius diffringitur, & ipse prehensus, ad palatium suum reportatur, ac per biduum in lecto suo sine ullo sensu decumbit, adeo, ut Medici singulis momentis exspiraturum crederent.

§. XXXVII.

Sanitatem recuperat, & quatuor Carthusianos ad Bonifacium mittit.

Idem cap. 7. Carthusiani funesto hoc casu præpediti, non nisi mense Decembri ad Regis alloquium venire poterant, quo tamen sanitati restituto benigne audiuntur, & Pontificis literis in pleno confesso prælectis, ab ipsoque Rege approbatis, deliberatur, utrum & quomodo Bonifacio respondere expediret.